



514

III

THEOREMATA  
THEOLOGICA

EX LIBRIS SENTENTIARVM  
SVBTILISSIMI DOCTORIS  
IOANNIS DVNS SCOTI

DEPROMPTA

HONORI



ADMODVM REVERENDI ac EXIMII PATRIS  
P. FRANCISCI DE BIEGANOWO BIEGANSKI

Artium Liberalium & Sacræ Theologiæ Doctoris,  
Per Vtramq; Poloniam, Prussiam Silesiamq; Partem, Or-  
dinis Minorum Sancti Francisci Conuentualium Mini-  
stri Prouincialis & Commissarij Generalis. Nec non  
Commissarij Generalis Prouinciæ Lithuanæ & Albæ  
Russiæ. & Præsidentis Capituli.


DICATA

Vilnæ Sub Tempus Capituli Prouincialis Prouinciæ Lithuanæ


Propugnata


Ad Ædes B. M. V. in Arenis PP. Franciscanorum

Anno Domini MDCXC. Mense Iunio die Horis



Vilnæ Typis Franciscanis





96540

ADMODVM REVERENDE ac EXIMIE PATER  
COMMISSARIE GENERALIS, PRÆSIDENSQVE

Capituli: Pater ac Mæcenas Munificentissime.

**T**Heses has in publicum prodituras Tui Leonis præsidio fulcire fuit in animo Adm: Reuerende Pater Cōmissarie Generalis, Mæcenas Amplissime. Ad propulsandum timorem, his Libicū: sed cicuratum inuictissimi Tui Gentilitij; Leonem associare volumus. Decet enim scientiarum reginam, Regem habere tutorem successum auspicamur felicem, si Apollini, sacrum, Apollineis studijs Comitem facimus Leonem. Nō glorientur Hesperii filia, mala aurea obseruantem, Custodem peruigilē, habuisse Draconem: dum nos Leonem quadrupedū Principem, circulū (dicam potius circum) studiorum nostrorum custodientem, in Tuo nobilissimo stemmate effigiatum agnoscimus. Terrificos Herculis non pauebit occursum, qui erectus hostē prestolatur inuictus. Exhorrescet aduersarius dum summo ferarum Principe Hæc Theologica Theoremata


exornata conspiciet. Fortiterq; me negotiū  
Theologi acturum confido: quia duce, Gē-  
tilitio Tuo Leone. Oppugnandum se, nulla  
tamen vi expugnandum hic conclusionum  
mearum populus credit, auctorum scilicet  
munitorum Tuorum meniorum securus. Ac-  
cipe igitur in sinum munitum Tuæ Mu-  
nificentiae hasce Theses, dextrāq; Tuæ muni-  
ficentiae ne subtrahas. ita præcatur.

ADMODVM REVERENDÆ ac EXIMIÆ  
PATERNITATIS VESTRÆ

*Hūmillimus Client*

*Pr. Fr. Florianus Frackiewicz studens Theologia*

CONCLV.



# CONCLUSIONES THEOLOGICÆ.

## I.

**T**Rinum in Personis est vnum Numen in esse:  
Naturæ ratio noscere nulla valet.

*Mysteriū Trin-Vnitatis Intellectus creatus, Angelicus siue humanus naturali  
evidentiq; ratione probare, neq; illud cognoscere potest.*

## II.

**S**Piritus atq; Pater, sobolesq; est æqua Parenti:  
Filius à Patre est, hic ab utroq; fluit.

*Omnes tres Persona Diuina, scilicet tam Pater quam Filius sicut & Spiritus San-  
ctus, sunt æquales in Diuinitate. Pater à Nullo procedit, Filius à solo Patre,  
Spiritus vero Sanctus ab utroq;.*

## III.

**A**Tque jdeo non vna datur productio verum  
Binas inuenies, & tamen univocas.

*Processiones in Diuinis quibus Mediantibus vna Persona procedit ab alia; sunt  
tantum due, & non plures, nec Pausiores; suntq; uniuoca in ratione proces-  
sionis.*

## IV.

**Q**uatuor tantum respectus originis exstant;  
Distinctus re, horum, non tamen omnis erit.

*Quatuor Numero sunt Relationes Originis in Diuinis; nempe, Paternitas, fili-  
atio, spiratio actiua, & spiratio passiuæ, Quarum Paternitas, filiatio, &  
spiratio passiuæ realiter distinguntur; non tamen spiratio actiua à Paternitate  
& filiatione.*

B

V.

## V.

Respectiua etsi sit subsistentia terna,  
Communem tribus, ponere cogor adhuc

*Præter subsistentias tres relativas datur subsistentia absoluta communis tribus Personis.*

## VI.

Personam primam Patris verbiq; secundam  
Nomine nuncupa, sed tertia Spiritus erit.

*Nomen Patris notionaliter sumptum, & proprie, soli primæ Personæ improductæ competit; sicut nomen Verbi Secundæ; Et Spiritus Sancti tertiæ.*

## VII.

Esto Paraclitus non dimanaret ab ipso  
Verbo: discrimen summum ibi quippe foret.

*Posita impossibili hac bypothesi. si Spiritus scilicet Sanctus non pro cederet à Filio, realis adhuc inter illos distincto foret.*

## VIII.

Corporeum Dotare oculum summi Author Olympi  
Non valet vt Numen cernere quando queat.

*Næquit, etiam Diuina virtute, oculus corporeus Eleuari ad videndum Deum in propria essentia.*

## IX.

Nec ratio Diuinum etiam pertingere gaudet,  
Esse ex quo prius hæc, Luminis aptet opes.

*Immo neq; ipse intellectus poterit attingere Diuinam essentiam quin prius eleuetur per Lumen gloria.*

## X.

Gaudia Cælicolis non sunt æqualia cunctis.  
Donum sit quamvis Luminis, æquivalens.

*Esse Lumen gloria æquale quo ad intensionem graduum poneretur in intellectibus Beatorum, visio tamen inæqualis foret.*

## XI.

XI.

**T**antum ibi quisq; videt gaudetq; ardetq; videndo,  
Quantum eius e gradibus, mens ibi habere potest.

*Itaq; Intellectus Perfectior, posito equali Lumine gloria perfectiorem elicere potest visionem; quod & actu esse: valde probabile est.*

XII.

**C**orpore Libera mens animæ fit, Numinis esse  
& non Personas Læta videre valet,

*Possibilis est visio præcisiva, ita vt Intellectus solutus corpore possit videre essentiam non visis personis &c.*

XIII.

**N**on valet: ipse Deus mentem formare Beatam  
Cui naturalis visio Diva foret.

*Implicat intellectum creari, cui visio Beatifica connaturalis, & ipse Deus, obiectum necessario movens sit.*

XIV.

**M**oralem appetitum expleat etsi visio quæq;  
Plus naturalem dicimus appetere.

*Perquamcunq; visionem, quantumvis remissam satiatur appetitus moralis Beatorum, non tamen Appetitus Naturalis.*

XV.

**G**ratia sanctificans effectum Iustificato  
Præbet moralem Dicimus haud Physicum.

*Iustificatio est effectus formalis gratiæ sanctificantis, moralis solum, & ex ordinatione Divina; non verò Physicus.*

XVI.

**I**vxta naturæ vim non, Divinitus autem  
Possunt stare diu, gratia, culpa simul.

*Etsi de potentia ordinaria, in eadem anima, peccatum cum gratia simul stare nequeant, non tamen id implicat, spectata Divinâ Omnipotentia.*

XVII.

**Q**uit Culpam Deus humano dimittere Cordi  
 Quin infundatur, Gratia sanctificans.

*Omne peccatum, Personale sive Originale, mortale sive veniale, Potest à Deo remitti absq; infusione gratia sanctificantis, & absq; vlla forma intrinseca.*

XVIII.

**I**Mmo etsi nullum eliciat peccator amorem,  
 Numen peccamen parcere pollet ei.

*Quinimo peccatum mortale remittere potest Deus, tam per infusionem gratia sanctificantis, quam etiam per extrinsecam condonationem, quamvis nullum peccator eliceret actum amoris erga Deum.*

XIX.

**G**Ratia non prius est quam fit depulsio culpæ:  
 Est id ibi vbi reus Iustificatur homo.

*In iustificatione hominis expulsio peccati est prior naturâ Infusione gratia.*

XX.

**G**Ratia amorq; Dei, minime discrimine summo:  
 Secerni possunt, vnus at est habitus.

*Gratia sanctificantis habitus, & habitus Charitatis non sunt duo habitus realiter ad inuicem distincti.*

XXI.

**O**Mne reuiuiscit meritum fuit ante quod alte,  
 Infectum Culpâ, quando beatur homo.

*Merita mortificata per peccatum mortale, reuiuiscunt per quamcunq; iustificationem subsequentem; non tantum iuxta dispositionem quam habet resurgens: sed etiam quo ad totum ius, quod antea habuerunt ad præmium essentiale.*

XXII.

**G**ratia adaugescit post actûs atq; remissos,  
 Seminatur vt parcè, parciter illa metet.

*Iustus de condigno meretur gratia & gloria augmentum etiam per actus remissiores, si alia interueniant conditiones.*

XXIII.

## XXIII.

**S**acramentalis tamen vtitur gratia missa:

Non redit auctori, qui graue crimen egit.

*Gratia sacramentalis, & quæcumq; alia sine meritis obtenta, non restituitur noviter iustificato; Nec in ipso Iustificationis instanti, nec alio tempore subsequenti.*

## XXIV.

**I**ustitiæ Donum collatum nuper Adamo,

Supra naturam quisq; fatetur homo.

*De fide est Iustitiam originalem in Adam Donum esse aliquod super-naturale.*

## XXV.

**E**xstiterat mortalis Adamus Dum Paradisum

Incoleret, tamen hîc non moretur ibi:

*Homo in statu innocentie potuit mori, quia tamen ista potentia nunquam fuisset ad actum reducta sequitur quod paterat non mori.*

## XXVI.

**S**eruat Lignum vitale æternaliter artus,

Virtutem hanc lignum desuper obtinuit.

*Si lignum vite habuit virtutem conseruandi hominem in æternum, tunc talis virtus non fuit ligno vite Naturalis, idest ab eius forma procedens, sed supernaturalis & a Deo impressa; taliter, quod lignum nullam exigentiam habeat ad immortalitatem æternam.*

## XXVII.

**S**I tamen hoc lignum seruasset tempore pauco

Vis naturalis non aliena foret.

*Si vero virtus ligni vite non fuit ad conseruandum corpus in æternum simpliciter, sed per tempus longius, quam per alios cibos protraheretur: tunc virtus illa fuit arbori naturalis.*

## XXVIII.

**P**ropagatiuè non, nec meritorie Adamus,

Fudisset nobis Iustitiam propriam.

*Innocentiam Originalem Adamus, neq; Naturaliter, neq; meritorie seruando scilicet, præceptum transfudisset.*

## XXIX.

SI durassent in paradiso pignora Adami :  
Possent iustitiam Perdere sorte mala.

*Propagati ex Adam potuissent iustitiam Originalem amittere in statu innocentie, tamen si prime tentationi resistissent, fuissent in illa confirmati.*

## XXX.

EXcidit vt Culpâ mortali de Paradiso :  
Sic veniale malum, Ducere posset Adam.

*Primus homo in statu innocentie potuisset Prius peccare venialiter, quam mortaliter; venialiter inquam, oriente Venialitate in actu peccaminoso: vel ex obiecto veniali, vel ex imperfecta deliberatione, vel ex materia paruitate.*

## XXXI.

Non quod Adamus egit Parui delere lavacro,  
Delictum debent; propria Culpa manet.

*Peccatum Originale non est ipsa Ada transgressio, in parvulos per modum habitus transfusa, & in illis moraliter perseverans quamdiu illis non condonetur.*

## XXXII.

DVrante integritate status tunc reprobus abfit :  
Sola Electorum turba petisset humum.

*Si perdurasset status innocentie nulli reprobi producendi fuissent sed soli Electi.*

## XXXIII.

PEccatum primum quod sit privatio sola  
Iustitiæ quæ actu est mens mea rite negat.

*Formalitas peccati Originalis in privatione Originalis Iustitiæ actualis, minime consistit: sicut nec in privatione solius gratiæ gratum facientis.*

## XXXIV.

SI est privatio Iustitiæ tum gratia cessit,  
Primævam culpam dicere quippe vales.

*Peccati igitur originalis formalitas consistit in vtriusq; Doni privatione tam scilicet Gratiæ sanctificantis quam etiam Iustitiæ Originalis Habitualis.*

## XXXV.

## XXXV.

**C**ordis secretum quæ Naturaliter omnis :  
Percipere Angelus, Ast Dæmones illa latent.

*Secreta Cordis boni Angeli naturaliter cognoscunt, non tamen mali, ob Denegationem Divini Concurfus.*

## XXXVI.

**P**aruulus abscedens Baptismi Symbate priuus,  
Non est visurus Lumina Sacra DEI.

*Paruuli sine Baptismo decedentes nullo modo Beatitudinem Supernaturalem consequentur.*

## XXXVII.

**P**eccasse & poterant Diuino æquale Parentes,  
Esse (indignum pro!) concupiendo sibi.

*Potuisent Primi Nostri Parentes peccare, appetendo æqualitatem DEI affectu inefficaci & simplicis complacentiæ.*

## XXXVIII.

**C**rimina si spectes iuxta illorum esse reale,  
In Positio tunc, sistere non poterunt.

*Peccatum realiter seu a parte rei consideratum, siue omissionis siue Commissionis non consistit in aliquo positivo, ipsi peccato inuisco, siue explicetur per Conversionem ad obiectum prohibitum, seu intentionem in ipsum, siue per respectum positivum deformitatis.*

## XXXIX.

**T**antum Concausæ Virtutes Theologiæ:  
Sunt; nec simpliciter dant operari homini.

*Habitus virtutis infusa non est principium totale, nec principale agendi vel eliciendi actus.*

## XXXX.

**I**nter virtutes naturæ admittitur ordo:  
Prima fides, spes post, Tertia virtus amor.

*Datur ordo originis seu naturæ inter virtutes Theologicas: taliter, quod prima sit fides, secunda spes, tertia Charitas.*

XXXXI.

**D**Eniq; nemo hominum poterit se discere habere,  
Desuper infusum certò habitum fidei

*Nequit homo certitudine scientiali scire se habere habitum supernaturalem fidei infusæ.*

XXXXII.

**D**Estruit Infidus moraliter id quod habebat.  
E Cælo Donum, sed physicè ipse Deus.

*Habitus fidei infusæ, moraliter solum destruitur per infidelitatem, Physice verò a solo Deo.*

XXXXIII.

**A**Tamen Electos purgandos igne, decorum  
Hunc habitum fidei: post retinere reor.

*Licet in morte præcitorum habitus fidei infusæ cesset & destruat, nihilominus in morte Electorum purgandorum probabile est, illum manere.*

XXXXIV.

**E**T si infinitum offendatur numen *in esse*:  
Non infinito est pondere culpa gravis.

*Peccatum non est formaliter & intrinsece infinitum.*

XXXXV.

**P**osse venire Deum deducet quis positive,  
En Deus assumpto corpore factus homo.

*Possibilitas Incarnationis à nullo intellectu, Angelico aut humano cognosci potest.*

XXXXVI.

•••••

Publico exponentur certamini Vilnae in Ecclesia PP. Franciscanorum Beata  
MARIÆ Virginis in arenis sub Tempus Comitiorum Provincialium Alma  
Provinciae Lithvane Respondente Patre Fratre Floriano Frackiewicz studente  
Theologo, sub Assistentia Admodum Reuerendi Patris, STANISLAI  
CHOCHŁOWSKI. Arium Liberalium & Sacrae Theologiae Doctoris,  
Custodis Grodnenfis, Regenis studij Vilnensis Ordinis Minorum  
Conventualium S. Francisci.

•••••

